

Halitgarius in praefatione ad libros de poenitentia. « Cum tanta est plaga peccati, ut medicamenta Corporis et Sanguinis Domini sint differenda, auctoritate antistitis debet se quisque ab altario remove ad agendam poenitentiam, et eadem auctoritate reconciliari (cf. epist. Aug. supra citatam) ». Porro his testimoniis satis probata est consuetudo Ecclesiae antiquae asserta a Tridentino, ante cuius declarationem Caietanus in 3<sup>a</sup>. p. q. LXXX. a. 4. oppositam sententiam ex eodem loco Apostoli perperam visus est sibi collegisse.

THESIS XXXV.

*Confessio Sacramentalis per se tum publica tum secreta esse potest. A veritate vero aberrant ii, qui contendunt Ecclesiam olim aut praecepisse publicam confessionem criminum occultorum, aut pro quovis peccato mortali publicam poenitentiam imposuisse: imo e contrario traditione catholica docemur ius fidelibus factum a Christo secreto confitendi peccata sua ita ut obligatio sigilli sit de iure divino.*

I. Dicimus confessionem sacramentalem *per se* posse alterutro modo fieri: h. e. etsi possit esse, quod nunc non quaerimus, illicitus iste modus, id tamen non impedire quominus essentia confessionis sacramentalis incolumis maneat. Id liquet 1) ex rei natura. Ex Christi enim institutione habemus necessariam esse eam confessionem, quae sit manifestatio peccatorum facta iudici pro obtinenda sententia absolutionis: atqui haec talis manet sive fiat secreto uni, remotis arbitris, unde et auricularis dicitur, sive publica fiat coram aliis seu paucis seu multis: ergo. Liquet 2) ex praxi Ecclesiae, quae in certis adiunctis confessionem publicam probavit, cum disciplina sollemnis Poenitentiae vigeret, quae confessio identidem saltem Sacramentalis erat; cum nempe fiebat iudici Sacerdoti pro obtinenda remissione coram Deo; eamque etiamnum probat, si quis « in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ad aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri » velit (Sess. XIV, cp. 5); eademque usa est et modo utitur confessione secreta. Quare secretam esse vel publicam, id *per accidens* se habet ad essentiam confessionis sacramentalis. Dicimus *ad essentiam* h. e. ratione habita eius, quod *essentialiter* postulatur ut sit confessio: quamvis ratione habita totius institutionis, aliarumque legum, quibus tum poenitens, tum Sacerdos subsunt; confessio secreta

congruat magis specialisque ratio esse debeat, ut licite adhibeatur confessio publica: prout ex sequentibus patebit.

II. Secretam confessionem cum dicimus, eam intelligimus, quae non solum fit secreto, sed quae *ita fit secreto, ut maneat secreta*, ut nempe non teneatur poenitens et non possit Sacerdos peccata manifestare. Hic est conceptus confessionis secretae. Heic quaestio occurrit historica simul et dogmatica. Sunt enim quidam, qui censent Ecclesiam primis seculis (saltem usque ad V.) praecepisse confessionem publicam graviorum quoque criminum occultorum (Ruardus Tapperus ad art. 5. Lutheri. Lindanus Panoptiae Lib. IV. c. 69. Alanus Copus Dialogo II. c. 27. Pamelius in adnotat, ad s. Cyprianum de Lapsis), vel saltem publicam poenitentiam pro gravioribus criminibus licet occultis (usque ad sec. VII.) imposuisse (Natalis Alexander H. E. sec. III. Diss. 6., Iuveninus Comm. hist. dogm. De SS. Tom. II. Diss. 6. q. 6. c. 7., Morinus Lib. V. c. 8. seqq.). Quae cum aliis doctissimis theologis videantur cum lege sacramentalis sigilli, quam tamen et illi theologi agnoscunt, haud facile componi posse, quaestio sponte oritur de hac ipsa lege, an vere ipsa statuta sit. Profecto si vera esset sententia Theologorum, quos citavimus, praesertim priorum, dicendum foret aliam olim Ecclesiae insedis opinionem de natura sacramentalis sigilli, quam sit ea, quae a non paucis seculis certe in Ecclesia universa viget. Lex sigilli, qualis nunc concipitur, non postulat quidem ut poenitens, si velit, nequeat confessionem sacramentalem publicam facere, sed postulat ut is non teneatur confessionem sacramentalem publicam facere, nec possit sacerdos, quod secreto audivit, ulla unquam ratione revelare, idque creditur valere non tantum vi iuris naturalis praecipientis custodiam secreti, sed iure quoque divino seu Christi hoc ius concedentis poenitenti et hanc obligationem imponentis sacerdoti. Diximus non teneri poenitentem ad confessionem *sacramentalem* publicam, quin distingueremus inter crimina occulta et publica. Ratio huius distinctionis omissae est, quia quamvis qui publice peccavit teneatur publicam quamdam sui peccati expiationem facere; attamen 1<sup>o</sup> ad id non tenetur lege Sacramenti Poenitentiae, sed ea lege, qua obligatur ad reparationem scandali, quaque obligaretur, etsi sacramentum Poenit. non fuisset institutum: 2<sup>o</sup> neque necesse est ut hic actus publicae expiationis sit confessio sacramentalis, sed petita publica venia sui peccati sive verbis sive scriptis (quae etiam post mortem tantum manifestanda identidem sufficiant), potest vel antea vel postea confessionem sacramentalem facere. Ita lex sigilli a Theologis concipitur. Quaeritur an aliquid occurrat in Catholica Traditione quod eidem adversetur. Cum censeamus obligationem publicae confessio-

nis praesertim atque etiam publicae poenitentiae pro peccatis occultis illi legi adversari, videndum quid hac in re usus priscae Ecclesiae habuerit. Sequentes ergo statuimus propositiones.

III. Nunquam Ecclesia (non haec aut illa particularis Ecclesia, quae praeterea errare potest, sed Ecclesia universalis aut Romana) iniunxit publicam confessionem criminum occultorum.

Probatur 1. Conc. Trid. Sess. XIV. cp. 5. docet quod « non est hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda ». Lex humana heic esse nequit nisi Ecclesiastica. Iam vero arbitrari non licet Ecclesiam praecipisse olim id quod non satis consulte, h. e. temere praeciperetur: ergo. 2) Presbyter Poenitentiarius adiectus Episcopo eligebatur, teste Sozomeno loco superius citato, qui esset taciturnitate et prudentia insignis: quorsum vero taciturnitas spectabat, si crimina etiam occulta publice revelanda erant? 3) S. Leo in Epist. ad Episcopos in Campania, Samnio et Piceno, haec scribit: « Illam etiam contra Apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovimus a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium sunt peccata, ut ea, qui poenitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis facta reserare, quibus posunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit; tunc enim demum plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis ». An Ecclesia unquam iussit id quod, testante Romano Pontifice, est contra Apostolicam regulam? an consuetudo improbabilis fuit unquam communis? an dicemus communiter primis seculis usurpatum, quod se nuper audivisse fieri in quibusdam Ecclesiis testatur Romanus Episcopus? Ratio vero cur s. Pontifex reprobet publicam confessionem non est ea tantum, quia scilicet vindictae legum exponerentur poenitentes: id sane additur a Leone in confirmationem suae doctrinae; sed ratio praecipua est quod id Apostolicae regulae adversatur. Cum vero ii Episcopi, quos reprehendit Leo, eam confitendi methodum instituissent ut poenitentiam magis commendarent ovibus suis, easque a peccatis deterrent, advertit e

contrario s. Leo, quod hoc pacto potius deterrentur a poenitentia qui peccaverint, quorum plures semper existunt, qui poterunt demum ad poenitentiam provocari, si confessio sit secreta.

4) Augustinus Serm. LXXXII alias 16. De Verbis Domini c. 8. « Corripienda sunt secretius, quae secretius peccantur. Sic agamus (ut secreto corripiamus), sic agendum est, non solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publice arguere prodamus hominem. Quid si inimicus quaerit audire quod puniat. Novit enim nescio quem homicidam Episcopus, et alius illum nemo novit; ego volo illum publice corripere, et tu quaeris inscribere. Prorsus nec prodo nec negligo: corripio in secreto, pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo poenitentiam. *Hac caritate praediti esse debemus.* Ubi contigit malum, ibi moriatur ». An Ecclesia unquam egit contra debitam caritatem? 5) Idem manifestum fit quoque tot testimoniis iam citatis Chrysostomi, quae secretam confessionem sufficere docent eamque solam praeciptam esse. 6) Idem praxi sua confirmavit Ambrosius, qui, ut refert Paulinus in eius vita, n. 39, quotiescumque illi aliquis ad percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, relinquens exemplum sacerdotibus, ut magis intercessores sint apud Deum, quam accusatores apud homines. Cf. Decreta citata sub n. seq. quae huc quoque faciunt. Itaque poterat sponte fieri et in certis adiunctis laudabiliter haec confessio, sed affirmare eam fuisse praeciptam id profecto est eorum, qui (seposita ignorantia) nullam Conciliorum et Romanae Sedis rationem habent. Quare ex talibus confessionibus, quae in historia occurrunt, cuiusmodi est illa Potamii Episcopi Braecensis (si tamen fuit sacramentalis cf. n. II. huius Th.), colligere id tantum licet, eas fuisse licitas et laudatas, non vero praeciptas, ut non recte Cardinalis De Aguirre facit in Dissert. De Disciplina antiqua Ecclesiae, Excursu 2. Dicit Martene De Ant. Eccl. rit. L. I. p. 2. c. 6; s. Basilium in Reg. brev. Interr. 110. permittere abbatissae una cum presbytero confessiones sororum audire. Scilicet ait honestius esse quod *μετα πρεσβυτερας* soror confiteatur presbytero; verum non constat de qua confessione loquatur, sacramentali an non: et illud *cum seniore* non significat necessario *audiente seniore*: sed potest significare *praesente seniore*, ad cautelam scilicet.

IV. Neque primis sex seculis Ecclesia praecipit aut probavit ut, quamvis confessio maneret secreta, imponeretur tamen (nisi eam sponte subire vellent poenitentes) poenitentia publica propter graviora peccata occulta, saltem propter ea, quae secundum canones

poenitentiae publicae subiecta fuissent, si publica fuissent. Quod explicans Morinus L. V. c. 2. concedit quidem non potuisse cogi peccatores occultos ad publicam poenitentiam per poenam excommunicationis aut similem; potuisse tamen cogi praecepto confessarii, ita ut renuenti potuerit absolutio denegari. Nos non negamus huiusmodi poenitentiam publicam peccatoribus occultis, qui eam vellent sponte subire, potuisse imponi, et impositam identidem fuisse. Concedimus in aliquibus locis ipsam hoc pacto permissam fuisse et identidem frequentatam, ut novimus ex Caesario Arelatensi in homilia 1.<sup>a</sup> De Poenitentia (penes Gallandi Tom. XI). « Quotiescumque fratres carissimi aliquem de fratribus vel sororibus poenitentiam publice videmus petere, magnam in nobis ipsis, Deo inspirante, compunctionem divini timoris possumus et debemus accendere... Et ille quidem, qui poenitentiam publice accepit, poterat eam secretius agere. Sed, credo, considerans multitudinem peccatorum suorum, videt se contra tam gravia peccata solum non posse sufficere, ideo adiutorium totius populi cupit expetere ». Et sic prosequitur plura emolumenta publicae poenitentiae expendens. Negamus vero Ecclesiam (quidquid sit de aliqua particulari Ecclesia) obligasse olim peccatores occultos ad publicam poenitentiam.

Sane 1) communis opinio est (Suarez D. XXXVIII. 5. 6.) theologorum, propter peccata occulta non debere imponi poenitentias publicas, quia sunt impropportionatae et contra bonam famam poenitentis ». An Ecclesia olim praescripsit poenitentias impropportionatas h. e. iniustas? Huc facit doctrina Leonis modo recitata: negari enim nequit per poenitentiam publicam aliquo vero modo, licet in confuso, manifestari conscientiam poenitentis, eo quoque invito. Respondent: cum plures sponte suscipere poenitentiam, latebat reus. Verum 1<sup>o</sup> cum Ecclesia legem eam condidit, sciebat ne quod semper plures exstituri fuissent, qui sponte vel innocentes poenitentiam suscepturi forent? Ubi ergo hic mos non erat, neque illa lex valebat. 2<sup>o</sup> Coniecturae, quod quis reus foret alicuius criminis, poterant capi ex pluribus circumstantiis, etiam posita illa consuetudine. Praeterea, qui sponte poenitentiam publicam agebant, frequenter non totum tempus constitutum, sed brevius in ea transigebant. Manet ergo robur argumento allato. 2) Ex testimoniis Chrysostomi superius recitatis manifeste colligitur secretam esse confessionem ita ut neque in publicum poenitens producendus sit: cf. ibi dicta. 3) Augustinus Serm. 354. in loco citato in praeced. Thesi, ad id solum poenitentes hortatur ut non recusent poenitentiam publicam agere, si eorum peccata fuerint quoque *in scandalo aliorum*. Ergo haec sola plectebantur poenitentia publica. Item hom. eadem c. 12. testatur: « Plerique boni Christiani

propterea tacent (non deferentes ad antistitem crimina aliorum)... quia documentis saepe deseruntur et ea, quae ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possunt... Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum ». Porro heic agit de poenitentia publica rationemque redditur cur non omnes, qui quibusdam tamen noti erant peccatores, poenitentiam agerent. *Confessus* vero, de quo loquitur, est confessus in iudicio publico, de hoc enim tantum agit; subdit enim; « quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam (nempe reo) ipse sit accusator et iudex »: porro reus accusator et iudex distinctae personae non nisi in iudicio publico locum habent. *Confessus* ergo est confessus in iudicio publico. Ea autem re probata auctoritate Pauli 1. Cor. 5. concludit: « quibus verbis satis ostendit non temere aut quomodolibet sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiae communione ». Scilicet quod in censuris in hominem determinatum latis valet, id Augustinus et ad poenitentiam publicam extendit, eodem modo de utraque re disserens, ut rationem reddat iis, qui putarent « propterea se consilium salutiferae huius debere poenitentiae contemnere, quia multos forte advertunt et norunt ad sacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorant ». Ergo et pro poenitentia publica imponenda notitia publica peccati requirebatur, idque ex ordine iustitiae iuxta Augustinum.

4<sup>o</sup> Tandem id pluribus Ecclesiae decretis sancitum est, ne ullo modo audeant Sacerdotes revelare peccata audita, praesertim Conc. Lateranensis IV. cap. *omnis utriusque sexus* his verbis: « Caveat (Sacerdos) omnino ne verbo, signo aut alio quovis modo prodatur peccatorem... qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum ». Et Conc. Senonense ann. 1524. « Obligantur Sacerdotes omnes et singuli triplici iure videlicet naturali, divino et humano caelare peccata quaecumque revelata et dicta in confessione sacramentali, quae tanto et tali debent claudi sigillo secreti, ut nullo casu nec verbo nec signo aliquo qualiter reveletur aut revelari existimetur.... Secundo peccat (sacerdos revelans) contra ius divinum, quia eodem iure prohibetur revelatio confessionis, quo iure praecipitur ipsa confessio, quae est de iure divino a Christo instituta; et si licitum esset in aliquo casu sacerdoti revelare peccatum sibi dictum in confessione, enervaretur praeceptum divinum de confessione facienda; quia nemo esset, qui vellet suum peccatum occultum propriae famae denigrativum sacer-

doti detegere, et sic talis revelatio peccati esset a praecepto de facienda confessione retractiva ». Atqui impositio poenitentiae publicae pro peccato occulto esset certe aliqua revelatio per signum facta peccati eiusdem. Neque aliquid afferri potest ex veteribus monumentis, quo demonstretur olim fuisse ab Ecclesia iniunctam obligationem subeundi poenitentiam publicam pro peccatis occultis.

V. Etenim *a)* provocatur ad verba Sozomeni loco iam citato, quae tamen aliter leguntur ac nos dedimus. Veteres enim, ut Cassiodorus propinquior Sozomeno, quam Nicephorus (cf. Bellarminum L. III. De Poenit. c. 14.) ita legunt in Hist. trip. L. IX, c. 35. in quibus scriptor rationem reddit instituti presbyteri poenitentiarum « Quoniam omnino non peccare divinum etc. propterea visum est antiquis Episcopis, ut velut in theatro, sub testimonio Ecclesiastici populi, delicta pandantur, et ad hanc rem presbyterum etc. sicut priore in loco. Hanc autem lectionem, aiunt, Bellarminus probat, qui inde colligit peccata poenitentium publicanda fuisse.

Respondeo: nulla est necessitas admittendae huius lectionis, cuius quoque sententia non satis secum ipsa cohaeret; merito enim e contrario censet Petavius voculam e textu excidisse, ut scripserit Cassiodorus: propterea *molestum* visum est etc. ut habet textus Sozomeni. Sed et admissa hac lectione, nihil est quod doceat peccata quoque occulta publicae poenitentiae subiecta fuisse. Nam quod Episcopi voluerint delicta pandi, id de solis publicis accipi potest et debet, si Leoni credimus; voluerunt nimirum ut publici peccatores confiterentur se reos et poenitentiam acciperent in publica Ecclesia. Quod et docet ipsa institutio Presbyteri, qui esset secreti tenax. Cur enim id in eo postulatum? quia nempe, ut advertit Bellarminus perperam ab adversariis citatus, non omnia peccata publicanda erant, sed ea solum, ob quae poenitentia publica a canonibus indicebatur. Itaque audiebat Presbyter omnia omnino poenitentium peccata, sed quae occulta erant, secreta esse sinebat nec publica mulctabat poenitentia: quae autem publica erant, licet multis fortasse incognita, iis poenitentiam publicam a canonibus praescriptam imponebat. Non dicitur tamen quod is in foro externo coegerit poenitentem ad poenitentiam, si solum ex confessione secreta poenitentis peccatum novisset. Sed in hac hypothesis poterat in foro interno cogere negata absolutione: cum vero ab aliis quoque per delationem aut accusationem factum rescivisset, poterat et extrinsece cogere. Cf. Augustinum superius citatum.

Aiunt *b)*: poenitentia publica erat statuta pro adulteris et homicidis; at non pro publicis, nam hi a potestate civili puniebantur: ergo pro occultis.

Respondeo *1)* ergo Ecclesia prodebat potestati civili reos, vel saltem

indicia et argumenta criminum eidem praebebat; erat enim determinata poenitentia pro singulis delictis. 2) Notorii etiam rei poenas civiles identidem evadebant, et imperantibus Christianis non raro poena civilis poena Ecclesiastica commutabatur. 3) Poenae illae canonicae poenitentiae normae semper erant confessariis et gravitatis delicti et poenitentiae iniungendae, quae secreto, quantum fieri posset, si publice non licebat, perageretur a poenitentibus. 4) Eae poenitentiae obiri poterant etiam ab occultis, sed si ipsi voluissent. Ergo non est sufficiens ratio cur ex iis canonibus colligamus peccata occulta quoque fuisse punita poenitentia publica.

*c)* Antiqui canones iubent mitius agi cum sponte confessis quam cum convictis, sed non distinguunt delictum publicum a non publico.

Respondeo. Ea distinctio inter confessum et convictum satis ostendit ibi agi de iudicio publico sive externo, in quo tantum potest habere locum ea distinctio: quare nec erat opus distinguere peccata occulta a publicis, cum iam constaret de solis publicis agi. Praeterea non est probabile voluisse Patres eadem poena plectere peccatum occultum et manifestum, cum hoc ratione scandali sit certe maius; quare si et occulta peccata poenitentiae publicae subiecissent, minorem eis poenam iniunxissent, et idcirco distinxissent inter peccata occulta et publica. Ergo silentium sive omissio huius distinctionis probat potius contra adversarios.

*d)* Cur ergo deinceps post sec. VI. ceperunt Canones distinguere inter occulta et publica peccata? ita Beda de remediis peccati, Ecbertus Eboracensis in Poenitentiali c. 1. Alcuinus in lib. Capitul. Caroli M. et Ludovici Pii L. V. c. 52.

Respondeo, quia quidam confessarii ignorantes vel temerarii id faciebant ut vellent subiicere peccatores occultos poenitentiae publicae. Oportuit tunc proinde his hominibus declarare sensum legis, non, ut adversarii putant, novam legem condere. Ex eo vero potius colligimus quod neque primis seculis Ecclesia praecepit eam poenitentiam. Et sane Alexander III. interrogatus ab Episcopo Oxoniensi monet eum, ne deponat Sacerdotem, si occulte peccavit, hanc addens rationem « Alioquin non esset tutum, cum sit secretus excessus, ipsum invitum ab officio coercere, sed tantum poenitentiam secretam, secundum quod tibi visum fuerit, iniungere non postponas ». An universa vel Romana Ecclesia id olim praecepit quod non esset tutum?

*e)* Ex pluribus testimoniis veterum habetur pro quovis delicto gravi factam fuisse publicam poenitentiam. Ita Tertullianus De Poenitentia « Omnibus ergo delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per iudicium definivit, idem